



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

119. An casus reservati desinant esse tales, si Superior Regularis reservans munere suo functus fuerit? Et quid in nostra Clericorum Regularium Religione? Et cursim infertur, quod excommunicatio ab ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CXVI.

An Superiores Regularium possint sibi reservare tactus impudicos & oscula, literula, munuscula, &c. Ex p. 3. tr. 2. Refol. 118.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Tamburinus de iure Abbat. tom. 2. disp. 13. quest. 2. num. 3. ubi sic ait. Aliquando in eadem supradictorum casuum decisione potest etiam Superior sibi alios casus reservare, ut exempli gratia in materia lapsus carnis poterit sibi reservare tactus impudicos, oscula, literulas, munuscula, &c. Ita Hieronymus Sorbo in annot. ad compend. privileg. ver. absolutio, affirmans hoc à Clement. VIII. sibi declaratum fuisse. Hæc Tamburinus loco citato.

2. Sed merito negativam sententiam docet novissimè noster P. Leone offic. confess. tom. 2. recollect. 11. num. 132. quia actus illi, nempe tactus impudici, oscula, &c. nullo modo comprehendi possunt sub significatione, & verbis Clem. VIII. videlicet *lapsus carnis voluntariè opere consummatus*, quæ quidem verba sonant consummationem actus in sua specie fornicationis, v. g. molliciti, &c. vide etiam Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 18. num. 12. & Molfesum in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. n. 46. & 104.

RESOL. CXVII.

An reservato peccato carnis contra Castitatem externam includantur visus, ornatus, &c. procedentes ex affectu interno?

Et an talia peccata non possint reservari, nec subiaci excommunicationi? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 163.

Sup. hoc visu, vel aspectu in R. leg §. vic

§. 1. **A**d hunc casum ita respondet Turrianus in select. disp. part. 2. disp. 31. dub. 61. Aliqui clarè pronuntiant, tale peccatum non esse reservatum, quia talis visus non potest ab aliis cognosci, & fieri potest tali modo, ut non sit signum affectus interni, & intentio reservantis videtur ea esse, ut non fiat actus externus in ea materia, qui posset significare internum affectum. Ego verò existimo tale peccatum esse reservatum, quando reservatio cadit super omnem actum externum libidinosum procedentem ex voluntate libidiosa, quia talis est visus prædictus, neque est fundamentum ad limitandum intentionem reservantis, & oppositum neque est probabile, neque tutum: suppono autem tale peccatum posse reservari. Sic ille, & ita etiam docet in dub. 52. sed more suo excedit Turrianus in censura supradictæ opinionis, unde ex eadem inclita Societate Hentiquez lib. 6. cap. 24. num. 6. in glossa lib. 1. & Iacobus Granada in 2. 2. D. Thom. contr. 1. tract. 15. disp. 13. num. 14. docent, non reservari neque subiaci excommunicationi peccatum, nisi quoddam secundum quantitatem operis externi, & non sola relatione ad consensum internum, certò constet esse mortale.

RESOL. CXVIII.

An pollutio cogitando tantum turpia sit peccatum reservatum; & quid, si sequatur ex aspectu nimis libidinoso, quando Superiores reservant pollutionem voluntariam? Ex p. 4. tr. 4. & Misc. Ref. 61.

§. 1. **A**liquando Superiores Regulares reservant sibi pollutionem voluntariam, etiam sine

complice, quæritur an si sequatur voluntariè ex turpibus tantum delectationibus morosis, vel ex aspectibus libidinosis, sit peccatum reservatum? Et ad hæc dubia respondet Georgius Kiane in tract. de cast. reserv. part. 3. cap. 6. num. 6. ubi sic ait: Quæres primo, vtrum Religiosus cogitando turpia, iisque morose delectando in pollutionem prolapsus sine proprii corporis aspectu, aut contactu libidinoso, vilique motione instrumentali casum reservatum incurrat. Respondet Suarez affirmative, sed non improbabili- ter alij negant, putant enim quòd ad huiusmodi reservationem non solum externa actio in sua specie consummata, sed etiam externa respectu meliorum requiratur & procuretur, non tantum per interiorum delectationem, tanquam causam adæquatam, sed potissimum per opus externum, v. g. libidinosum contactum. Et quemadmodum ille non incidit qui tangit personam, quantumcumque libidinosè exercendo varios impudicitia actus absque feminis profusione, aut copula, quamvis mortaliter peccet, ita quoque qui sine tactu proprii corporis, aut alio instrumento ob veneram turpitudinem mentalem pollutit, nisi perveniat ad consummationem illius actus impudici, quem peccans intendit, vel in quem natura sua ordinatur, id est copulam carnalem.

2. Quæres secundo, vtrum aspectus libidinosus in feminam directus, ex quo apta est sequi pollutio, sit casus reservatus; Respondeo primo si aspectus aliqua quidem libidine quasi inadventerem informatus à pulchritudine faciei, aut formæ femineæ, aut personæ superbiè conuersitæ proveniat, non esse vti nec mortalem, ita neque reservatum. Ratio est quòd huiusmodi aspectus de se leuiter tantum in libidinem prouocet. Respondeo secundo, quando in gravem tentationem, & inde in pollutionem probaretur, nec dum culpam reservatam probabiliter committi, etiam si ex prava affectione & intentione ad libidinem concitaretur ob affectum corporis externi quòd per se oculus impudicus non possit continè propinque lapsus carnis opere consummatus. Respondeo tertio, aspectus denudati in femina corporis, aut portioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione in actus videtur sine præuis osculis, aut contactibus, casus reservatus. Ita Kiane loco citat. Vide etiam Homobonum de Bonis de cast. reserv. part. 3. cap. 5. except. 6. Molfesum in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 20. num. 104. & Coriolanum etiam de cast. reserv. part. 2. cap. 9. §. 10. num. 15. asserentem pollutionem ortam ex turpibus cogitationibus nunquam esse casum reservatum, sed tantum peccatum mortale.

RESOL. CXIX.

An casus reservati desinant esse tales, si Superior Regularis reservans munere suo functus fuerit?

Et quid in nostra Clericorum Regularium Religione?

Et cur si in inferitur, quòd excommunicatio ab homine cessat, cum moritur, qui eam fulminavit. Ex p. 3. tr. 2. Refol. 23.

§. 1. **N**on esse amplius reservatos existimo ex doctrina, quam asserit Iacobus de Granada in part. 2. D. Thom. constit. 7. tract. 11. disp. 7. num. 6. ubi sic asserit. Si Praelatus præcipiat vni subdito, aut toti Conuentui, vel provincie aliquid, & ei subditus paruerint, dum viueret, eo ipso quod moriatur, vel ab officio amoueatur, cessat obligatio præcepti, licet & cessat excommunicatio ab homine, cum moritur, qui eam fulminavit. Ita ille.

RESOL. CXXI.

An possit puniri Regularis qui expositus a suo Superiore ad excipiendas tantum confessiones virorum, excipit tamen confessiones foeminarum vigore Iubilaei? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 93.

§. 1. Affirmatiue videtur respondendum, per ea quae adducit Hieronymus Rodriguez in comp. 99. Regul. resolut. 3. 2. n. 10. vbi sic ait: Religiosi per suos Superiores legitime praesentati, & ab Episcopis approbati, licet sint apti, nullo tamen pacto exercere possunt hanc iurisdictionem contra Superiorum prohibitionem, etiam si eligantur virtute Iubilaei, aut Cruciatæ, & contra facientes possunt ab eis puniri, quia nunquam Papa intendit eximere Religiosos ab obedientia suorum Superiorum, nisi id exprimat, Ita Rodriguez, & magis in terminis Didacus Nugnus in addit. ad 3. part. D. Thom. quaest. 8. art. 5. dub. 9. ad arg. 10. vbi sic asserit. Qui simpliciter est expositus, vt audiat confessiones virorum, non tamen mulierum, si eligatur a mulieribus, virtute Bullæ Cruciatæ, valida erit confessio, ipse tamen Sacerdos peccabit contra obedientiam Superioris, si id faciat sine sufficienti necessitate.

Sup hac doctrina in r. 4. tr. 3. lege resolut. 26. per r. 1. & alias r. 1. & §. eius annotationu & vide hic infra ref. annot. 1. post seq. huius R.

Et pro contento a veris. Qui simpliciter, huius §. 1. lege doctrinam ref. nor praeteritæ, signaret eius, §. Reftat, & pro parte in ref. not. seqq. * Et pro virtute Cruciatæ, & Iubilaei contentis in hoc §. Verum, in tom. 4. tr. 3. Ref. 22. & in r. 1. tr. 2. ref. 154. §. 2. in fine, & hic supra in ref. 71. §. 1. curtim in fine.

2. Verum, his non obstantibus, contraria sententia mihi magis placet, quia, vt docet Ledes. in summ. tom. 1. de sacrament. Penit. c. 13. dub. 8. & Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 8. disp. 36. num. 16. probabilis est illa sententia. quæ dicit, * Sacerdotem expositum tantum ad confessiones virorum, posse virtute Bullæ Cruciatæ, & Iubilaei excipere confessiones foeminarum, & ita tenet Petrus Fey in addit. ad 3. part. D. Th. q. 8. art. 5. disp. 3. concl. 5. ad argum. 4. Henríquez lib. 3. c. 6. n. 8. Fagundez vbi infra, & alii, quidquid asserant alii: sed qui operatur secundum opinionem probabilem, non potest puniri: ergo Regularis, excipiendo in tali casu confessiones foeminarum non erit puniendus.

3. Minorem propositionem huius argumenti, in qua consistit vis nostræ sententiæ, aperte docet Ioannes Sancius in selectis, disp. 45. num. 72. & magis appositè disp. 44. n. 27. Et ratio est clara, quia poena supponit culpam, sed qui operatur secundum opinionem probabilem, non operatur culpabiliter; ergo non est dignus aliqua poena.

4. Nec valet dicere, quod dicta opinio est probabilis in ordine ad validitatem confessionis, non autem excusat Sacerdotem, ita contententem, à poena. Nam respondeo, quod si hoc esset verum, sequerentur duo absurda. Primum, quod quis puniretur sequendo opinionem probabilem, & per consequens sine culpa; secundum quod, propter timorem poenæ, nullus Sacerdos vti vellet supradicta opinione, & sic indirectè tolleretur, & arctaretur priuilegium Summi Pontificis absolute, & sine vlla limitatione in fauorem animarum, & pro bono publico concessum.

5. Restat modò respondere ad argumentum contrariæ sententiæ. Dico igitur cum Fagundez de prac. Eccles. p. 2. lib. 7. cap. 2. n. 45. quod prohibitio Episcopi, seu Generalis, interpretanda est rationabiliter, videlicet vt locum habeat, quantum ad iurisdictionem ab eodem Episcopo, seu Generali commissam, & delegatam, non verò quantum ad delegatam à Summo Pontifice per Bullam, seu Iubilaeum. Vnde sequitur, Regularem expositum tantum ad confessiones virorum, si excipiat confessiones foeminarum in nostro casu non peccare contra obedientiam Superioris, & sic cessat fundamentum contrarium.

2. Sed dices hoc verum esse in aliis Religionibus, non autem in nostra Clericorum Regularium. Nam per Decretum Capituli generalis anni 1610. tit. de Praeposito, Vicario, & vocalibus §. 6. sic habetur. Decreta, seu statuta à Patre Generali, seu à quolibet alio Praeposito in sua domo lata, indictave in suo robore permanent, & vnusquisque accuratè ea seruet, etiã ad Generale Capitulũ illi se contulerint, munusque suum abdicauerint, quousque à Generali Capitulo, vel à successore speciatim abrogentur. Attamen noster P. Megala in 1. p. lib. 1. c. 12. n. 5. putat praedictum Decretũ in nostra Religione non habere locum quoad reservationem casuum, quia loquitur de Decretis, & statutis ab ipsis Superioribus factis; & reservatio casuum, quæ fit ab ordinariis Superioribus Religionis, non est neque Decretum, neque statutum; ergo, &c. Vnde Vicarij nostrorum domorum casus praecedentis Patris Praepositi sibi referunt, si volunt eos reservados esse.

RESOL. CXX.

An quis ex presumpsa voluntate Superioris possit aliquem absolueret? Ex p. 3. tract. 2. Ref. 11.

§. 1. Affirmatiue sententiam docent aliqui, quam tueri etiam videtur Peregrinus in Comm. ad nost. constit. p. 1. cap. 9. lit. C. §. 3. vbi postquam adduxit Decretum appositum in p. 1. cap. 6. de Decretis Capituli generalis. prohibens ne alicui vnus domus Confessario alteri alterius domus confiteri liceat, sic asserit. Circa Decretum supra dictum aduertendum est, quod ex presumpsa voluntate Superioris ipsius poenitentis possit fieri in aliquo casu, sed non saepe. Ita ille.

2. Sed hæc opinio absolute, & sine distinctione prolata mihi summopere displicet, quia praesumptio si non fundetur in aliquibus signis, quæ sufficienter indicent praesentem voluntatem Superioris concedendi facultatem, non sufficit ad dandam iurisdictionem; nam sic est tantum estimatio de futuro consensu Superioris, & coincidit, vt optime obleruat Suarez tom. 4. disp. 27. sect. 4. num. 16. cum rati habitatione de futuro, quam non esse sufficientem docent communiter DD. asserentes ad excipiendas Confessiones non satis esse rati habitationem de futuro, sed opus est adesse de praesenti. Et ita tradit Becanus de Sac. c. 38. q. 8. n. 3. Homobonus in exam. Eccles. p. 1. tract. 4. cap. 11. q. 105. Fagundez p. 2. lib. 7. cap. 2. n. 71. Tolet. lib. 3. cap. 13. n. 22. Hent lib. 6. cap. 13. num. 13. Coninch. de Sac. disp. 8. dub. 5. num. 36. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 9. diff. c. 5. n. 2. cum aliis: quidquid in contrarium mordicus tenet Didacus Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 2. asserens ad excipiendas Confessiones non sufficere non solum rati habitationem de futuro, sed neque rati habitationem de praesenti, & affirmatiuam sententiam improbabilem putat, sed immeritò quidem; nam quomodo Nugnus improbabilem potest vocare sententiam illam, quam communiter docent Doctores?

3. Dicendum est igitur pro expositione supradicti Decreti, quod si in aliqua ciuitate, vbi sunt plures domus, adit consuetudo (in illam tamen per aliqua signa conuenientibus Praelatis) vt Confessariis alterius domus nostri Patres in aliquo occurrenti casu aliquando confiteantur, valide erunt tales Confessiones, quia adest rati habitio de praesenti, & praesumptio modo quo supra dictum est. Vnde illa scientia, & patientia Praelatorum, vt notant citati Doctores, habetur pro licentia: at hic Panormi in domo S. Ioseph, & S. Mariae de Catena certum est non adesse talem consuetudinem; vnde standum videtur determinationi supradicti Decreti.